



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen  
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark  
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1857**

XXVI. Die Markgrafen Johann, Otto und Conrad schenken dem Kloster  
Chorin das bei der Vermessung der Dörfer Jädickendorf und Woltersdorf  
gefundene Uebermaaß, am 6. Januar 1281.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54745](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54745)

libertate ac proprietate totali donauimus perpetualiter possidendam. Agros vero dicte ville per nostros milites quorum nomina inferius continentur demonstrari et metiri iussimus, quorum initium est ab oriente a stagno retro villam Brizeke usque ad arborem fibicem signatam juxta viam, inde versus occidentem via regia per directum usque ad quercum signatam, que diuidit agros ville Lichteuelde et Brizeke, ab illa arbore per directum usque ad aluum super stagnum Brizeke signatam, trans stagnum vero versus austrum angulus quercea usque ad pontem, ab ipso ponte via per directum ad quercum signatam, que diuidit agros ville Goltiz et Brizeke. Inde per directum versus aquilonem per loca signata usque ad sagum in fluuio Lupaniz, que diuidit terminos Goltiz et Brizek et Chorin. In descensu fluuii versus orientem retro ortos ville super riuulum Rogosene ad locum signatum, qui diuidit terminos ville Chorin, Brizek atque claustrum. Hujusmodi mensure interfuerunt Johannes de Grisenberch, Georgius, Albertus frater ejus et Henricus dicti de Bellingen, Conradus de Luderstorp, Hekgardus Dunker et alii quam plures. Volumus igitur ut predicta villa Brizeke libera sit ab omni Aduocatia et iudicio seculari, nec aliquis Aduocatorum nostrorum, scultetorum, Bodellorum aliquam jurisdictionem in ea sibi audeat usurpare. Sed ipsi fratres sicut in aliis bonis suis per se suosque iudices sua iudicia minora exerceant et maiora. Nec quoque hoc pretermittendum duximus, quod ipsi Cenobio Chorin donauimus, ut si villam supradictam Brizeke infra suas metas ad alium magis sibi congruum locum transplantare voluerint, liberam habeant facultatem. Jus etiam patronatus ejusdem parochie, que dicebatur filia Goltiz, post decessum presentis plebani videlicet domini Meinardi predicto cenobio integraliter dimisimus toto nisu. Donauimus insuper dicto claustro proprietatem molendini inferioris juxta curiam Golow cum omni jure, quod dominus Wilhelmus de Tornow dedit in testamento pro se et pro filio suo cenobio memorato. Vt autem hec nostra donatio tam a nobis quam heredibus nostris inuiolabiliter et perhenniter conseruetur, presens scriptum prehabito Cenobio dari iussimus sigillorum nostrorum appensionibus consignatum, adhibitis nichilominus testibus ydoneis, quorum nomina sunt hec: Vir inclitus Dominus Ericus prepositus sancti Bonifacii in Halberstad, frater noster dilectus, Johannes de Oldenvlete, Mariscalcus, Henricus de Bellinge, Aduocatus Stolpensis, Henricus Duncker, Thidericus de Walsleue, milites, Walterus prefectus in Angermünde et alii quam plures fidedigni. Acta sunt hec Straceburch, anno domini M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. LXXVII<sup>o</sup>. V. Kal. Julii, Datum per manum Meinardi nostre Curie Capellani.

Aus dem nach dem Original des Königl. Geh. Staatsarchives berichtigten Abdrucke in Gerrens Cod. II, 419.

XXVI. Die Markgrafen Johann, Otto und Conrad schenken dem Kloster Chorin das bei der Vermessung der Dörfer Jädickendorf und Woltersdorf gefundene Uebermaß,  
am 6. Januar 1281.

Nos Johannes, Otto et Conradus, dei gratia Marchiones Brandenburgenses, omnibus in perpetuum. Literis presentibus protestamur, quod fratribus in Chorin supra Centum et viginti mansos, quos habebant in duabus villis videlicet in Wolterstorp et Godekendorp inuenimus per mensuram tam in agris, quam in paludibus et aquis, octo mansos, quos ipsis donauimus

mus perpetuo possidendos. Vt igitur hec nostra donatio et fratrum possessio de cetero a nobis et a nostris successoribus inuiolabilis perseueret, presentem paginam conscribi iussimus et sigillorum nostrorum appensionibus roborari. Testes vero hujus rei sunt, quorum nomina subscribuntur, Dominus Thidemannus de Kercowe, dominus Lodeuicus, dominus Haffo, dominus Henricus, Tzulis, fratres, dicti de Wedele, dominus Georgius de Breuiz, Datum in Arneswolde, Anno Domini M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. LXXXI<sup>o</sup>. in Epiphania Domini.

Aus dem nach dem Original des K. Geh. Staatsarchives berichtigten Abdrucke in Gerckens Cod. II, 422.

XXVII. Die Markgrafen Otto und Conrad machen dem Kloster Lehnin, zur Erfüllung des Testaments ihres verstorbenen Bruders Johann und zum Seelenheil der verstorbenen Markgräfin Constantia, mehrere Zuwendungen, am 9. October 1281.

In nomine Sancte et indiuidue Trinitatis amen. Otto et Conradus, dei gratia Brandenburgenses Marchiones, omnibus in perpetuum. Quum omnes stabimus ante tribunal cristi, accepturi prout in corpore gessimus, siue bonum fuerit siue malum, oportet nos diem messonis extreme operibus misericordie prevenire, illud apostoli reuoluentes in animo: qui parce seminat parce et metet, et qui seminat in benedictionibus, metet vitam eternam; quia qui in semine defecerit, in messe aliquatenus non gaudebit. Qua propter esse notum cupimus uniuersis et singulis, ad quos hujus series scripti deuenerit, quod dilectissimus frater noster Johannes pie memorie Brandenburgensis Marchio, uidens imminere sibi sue diem messonis extreme, ne in semine deficeret et ut gauderet in messe fauente Domino, decreuit sibi ac nobis ac posteritati utriusque salubriter providere, pro testamento suo et sui memoriam eternalem, de puro ac maturo nostro consensu nec non et heredum nostrorum, legans et donans Cenobio Chorin integritatem ville Parteyn cum agris et metis suis plenarie, cum omni jure quod in ea habuimus proprietatis titulo perhenniter possidere. Et in villa Hertsprunge similiter sex mansos cum omni jure et utilitate pretaxato dedimus Chorinensi cenobio Cysterc. ord. cum tribus talentis in moneta Zuetenfi perpetualiter proprietatis possidere tytulo domino concedente. Ne vero tanta et tam rationabilis nostra donatio a nostris irritetur successoribus ad majorem et euidentiorem cautelam paginam presentem conscribi iussimus et sigillorum nostrorum munimine roboratam. Actum Chorin, anno domini M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. LXXXI<sup>o</sup>. presentibus militibus nostris Bertammo de Benz, Bertrammo et Frederico de Eyestede, Johanne de Stegeliz, Johanne de Griphenberge, Johanne de Oldenuelt, Henrico de Bellinge, Georgio de Breuiz pincerna, Johanne de Nowen dapifero, Thetardo de Wozstroue, Wilhelmo de Kerkoue et Johanne de Sydow, Aduocato, et aliis quam pluribus fide dignis. Preterea nos Conradus, promemorata dei gratia Brandenburgensis Marchio, compunctus et transitu dilecte nostre conjugis, Domine Constantie, Brandenburgensis Marchionisse, dicte de Polonia felicis memorie, in recordationem sui testamenti perpetui decem mansos in prehabita villa Hertsprunge ad predictos sex eidem cenobio Choryn donauimus, eodem proprietatis tytulo perhenniter possidendos. Et nos Otto, pretaxata dei gratia Brandenburgensis Marchio, huic dilecti fratris nostri Conradi donationi piissime consensum nostrum et successorum nostrorum adhibuimus beniuolum et benignum sperando fructum